

„mas, vel senex. Vicissim autem canones quidam  
„accepti sunt ab Africanis, ut indicatur illis  
„verbis: *Placuit omnibus Patribus per provin-*  
„*ciam Carthaginiensis consistentibus. Ex his omnibus*  
„*colligunt statuta esse Ecclesie ex variis Syno-*  
„*dis Occidentis, & Orientis collecta; & qui-*  
„*dem post natam Eutyctetis heresim, cum*  
„*in his non obscure dogma Eutyctianum fe-*  
„*riatur.*

D. Dicebat mihi nuperrime nescio quis, anti-  
quos de Disciplina Ecclesiastica Canones non esse  
amplius in usu, sed per desuetudinem fuisse abro-  
gatos, ac penitus antiquatos.

M. Jurarem profecto, eum, qui te isthac do-  
cuit, unum esse de grege illorum, qui magnam  
Ecclesiasticam disciplinam ac sacrorum Canonum  
partem sine metu, sine pudore abigunt, explodunt,  
& exsufflant. Sed quisquis ille sit, prorsus  
Ecclesiastici spiritus expertem, & in Ecclesiastica  
doctrina rudem se & hospitem prodit. Equis enim,  
amabo, qui doctrinam Ecclesie tantisper  
casser, dicere audeat, sacros Canones, quibus Ec-  
clesia disciplinam suam, & filiorum, præcipue  
Ministrorum suorum, mores conformat, quibus  
nascentes refecat labe, & vitia succrescentia re-  
scindit, sola desuetudine, idest, hominum in iis  
violandis audacia abrogari ac penitus deleri? quis,  
inquam, dicere audeat, Ecclesiam nunc minus,  
quam olim, scelera detestari, minorem ad sacra-  
menta percipienda sanctimoniam exigere? Minus  
castos & sanctos optare Sacerdotes? Minus quam  
olim avaritiam & ambitionem in suis Ministris  
aversari, minusque illos execrari, qui sibi hono-  
rem rapiunt, & in sacros, absque singulari voca-  
tione Dei, ordines involant? Quod si nemo hæc  
tam absurda dicere audeat, certum apud omnes  
esse debet, eadem Ecclesie nunc probari, quæ  
olim probata sunt, eamque subinde illos Cano-  
nes, qui formæ quædam ac regulæ morum sunt,  
in intimo suo spiritu gerere impressos, eosque et-  
iamnum tenere, aut quod eos temporum diffi-  
cultatibus præpedita tenere non possit, vehemen-  
ter ingemiscere, & indolere. Levitatem igitur  
Sacerdotum, qui ab uno Beneficio ad aliud, &  
ex alia in aliam transiliunt Ecclesiam, eorum  
a suis Ecclesiis diuturnam absentiam, & Benefi-  
ciorum pluralitatem, quando hæc carnali cupidi-  
tate, sola animi inconstantia, vel sordido lucri  
appetitu fiunt, non probat modo, sed potius dan-  
nat Ecclesia, quamvis tamen hæc propter ma-  
jus Ecclesie bonum, vel ob alias circumstantias,  
quas perdocte exponit S. Thomas quodlibeto 9.  
artic. 15. aliquando iustis de causis concedat Ec-  
clesia. Alios vero in Clericis gliscentes abusus,  
seu corruptelas & pravitationes improbat, ne-  
dum permittit Ecclesia, quæ rota pro viribus con-  
nititur ad collapsam in suis Ministris instaurandam  
disciplinam, quantum patitur Christiana pruden-  
tia, quæ nonnullas labe, majoris mali vitandi  
causa, nonnunquam tolerari præcipit. Cave itaq-  
ue a perniciose opinione illorum, qui nihil æ-  
grum, nihil facium vident in Ecclesia, omnes  
abusus, qui temporum diuturnitate impunitatem

nasti sunt, licitos putant, antiquos Canones ad  
cohibendas morum corruptelas olim sancitos non  
amplius vigere, sed prorsus extinctos esse dicti-  
tant, uno verbo, quidquid præposita, ac vitio-  
sa consuetudine inolevit, pro lege habent.

D. Cum Monachi severiorem morum sectentur  
Disciplinam, nullus dubito, quin Monastica Di-  
sciplina in quinto Ecclesie sæculo maxime flo-  
ruerit, ac maximum susceperit incrementum. Sed  
quæ, & qualis fuerit in variis Monasteriis eo in  
sæculo fundatis observata disciplina, velim modo  
ut paucis exponas.

M. Præter plura Monasteria cum virorum, tum  
mulierum, quæ S. Augustinus, teste *Possidius* in  
eius Vita, instituit in Africa, multa alia Cœno-  
bia, eaque celeberrima in Galliis erant jam quin-  
to sæculo constructa; scilicet Massiliensia a Cassia-  
no fundata, Lerinense, Agaunense, Jurense,  
Grinniacensia, Reomaense, sanctissimis Monachis  
repleta, quorum disciplinam, ac singulare vi-  
tae genus paucis hic describam. In primis, Mo-  
nachi, vel, ut alii volunt, Clerici Regulares,  
qui in Monasteriis a S. Augustino institutis vive-  
bant, curis secularibus expediti, jejuniis, ora-  
tionibus, bonisque operibus jugiter vacabant,  
in Lege Domini meditantes die ac nocte. Om-  
nia erant illis communia, distribuebatur unicui-  
que prout cuique opus erat, juxta Regulam, quam  
Sanctus Augustinus scripsit pro foeminis, seu pro  
Sanctimonialibus, quibus præerat ejus soror, &  
quæ legitur Epistola centesima nona ejusdem San-  
cti Doctoris. Sunt qui putant, Sanctum Augusti-  
num non solum vitam Monasticam sectatum esse,  
sed etiam Monachorum gessisse habitum, &  
cucullatum, immo & excalceatum fuisse, asse-  
runt. Verum, licet ipse post *Possidium*, qui vi-  
tam S. Augustini descripsit, lubens fatear, S.  
Augustinum instituisse Monasterium, & in eo vi-  
tam Monasticam, seu religiosam vivendi modum  
egisse, nunquam tamen adducar, ut credam, eum  
cucullatum, & excalceatum fuisse. Primo, quia  
hæc opinio non aliunde nata est, quam ex sup-  
positiis Sermonibus ad Fratres in Eremito, qui S.  
Augustinum Monachorum indutum habitu falso  
adumbrant. Secundo, testatur ipsemet S. Augu-  
stinus in Sermone 50. de diversis, se non aliis  
indutum fuisse vestibus, quam quibus Clerici vul-  
go in Africa utebantur. Sic enim loquitur: *ne-*  
*mo det byrrum, vel lineam tunicam, seu aliquid*  
*nisi in commune; de communi accipiam mihi ipsi,*  
*cum sciam commune me habere velle quidquid ha-*  
*beo.* Excalceatum etiam non fuisse S. Augusti-  
num dicitur *Possidius* in ejus Vita, ubi  
hæc habet: *vestis ejus & calceamenta, & lectua-*  
*lia ex moderato & competenti habitu erant, nec ni-*  
*tida nimium, nec abjecta plurimum.* Ludunt ergo  
nos pictores, qui S. Augustinum cucullatum & ex-  
calceatum depingunt. Complures nunc extant Con-  
gregationes Clericorum, & Canonicorum Regula-  
rium, qui suum Institutum, vitæque genus refe-  
runt ad S. Augustinum, quo ceu fundatore & pa-  
tre gloriantur. Sed viri doctissimi, quos inter  
numerantur *Mabillonius, Thomassinus & Pagius* pu-  
tant,

tant, ejusmodi Congregationes undecimo dumtaxat  
Ecclesie sæculo initium habuisse. Qua de re  
opportunitus alio loco differemus.

Monachi Cœnobiorum Massiliensium *Cassiani*  
eorum fundatoris Regulam profitebantur, quam  
S. *Benedictus* Anianensis Abbas in concordia Re-  
gularum non semel laudat, illiusque meminit S.  
Gregorius Turonensis lib. 10. cap. 29. De *Cassiani*  
Abbatis patria, doctrina, & sanctitate plura  
in superioribus Colloquiis diximus.

Monasterium *Lirinense* a S. Honorato, Epi-  
scopo deinde Arelatensi, fundatum est, indeque  
dictum Monasterium S. Honorati, in quo floru-  
erunt celeberrimi Monachi. Quamvis tempus con-  
diti illius Monasterii incertum sit, citius tamen,  
quam par erat, Baronius illud conditum affirmat  
circa annum cccclxxv. nam S. Honoratus, Sancto  
Leontio Forojulensi Episcopo sedente, Monaste-  
rium *Lirinense* excitavit, teste S. Hilario Arela-  
tensi Episcopo, qui ejus vitam descripsit. Quæ-  
re, cum Leontius Episcopus Forojulensis mor-  
tuus fuerit anno cccclxxv. ejus Episcopatus  
initium incidisse videtur in priores hujus sæculi  
annos. Quo fit, ut in quinto dumtaxat sæculo ja-  
cta fuerint *Lirinensis* Monasterii fundamenta.  
Vetustioris Regulæ, quam *Lirinenses* Monachi  
observant, priusquam *Benedictinam* Regulam  
susceperent, idem auctor fuit, qui Monasterii con-  
ditor S. Honoratus. Sed hæc antiqua Regula mo-  
do non extat, sicut nec *Discipline* Regularis ob-  
servatio, quæ primis temporibus in hocce Mona-  
sterio magno cum fervore vigeat.

De Agaunensi Monasterio, quod nunc vulgo  
nuncupatur Cœnobium S. Mauriti in Valleis,  
quia ibi SS. Martyrum Thezorum, quibus præerat  
S. Mauritius, asservantur, & coluntur Reliquiæ;  
late tractant *Card. Norisius* lib. 2. Hist. Pelag. c. 3.  
*Hensobentius* in Vita S. Sigismundi Burgundie  
Regis ad diem 1. mensis Maji, & *Carolus Cointius*  
Presbyter Oratorianus in Annalibus Ecclesie Fran-  
corum ad annum DXXXV. Istud Monasterium  
antiquissimum est, & antè annum quingentesi-  
mum *Agauno* constructum in angusta planitie,  
in qua parvus vicus antiquitus ædificatus fuit,  
quem *Tornatam*, seu *Tornadam* non longe ab O-  
ctoduro dissitum, incolæ appellarunt, indeque Mo-  
nasterium modo *Agaunense* a situ, modo *Torna-*  
*rense* ab Oppidulo ibi condito denominatur. *Aga-*  
*nenses* Monachi peculiarem Regulam servabant a  
S. Severino Monasterii Abbate editam, quam *Hol-*  
*stenius* una cum aliis Regulis a S. Benedicto A-  
nianensi Abbate collectis in lucem emisit, cujus  
hic titulus est: *incipit Regula Monasterii Torna-*  
*rensis*, quæ Capitibus XXIII. constat, quamque a  
Capite XIII. usque ad ultimum, ex Regula S. Au-  
gustini ad verbum excerptam esse *Card. Norisius*,  
& *Carolus Cointius* jam laudati demonstrant. *Si-*  
*gismundus* Rex Burgundie, postquam filium suum  
*Sigericum* occidi jussisset, facti poenitens peren-  
nem Psalmodyam circa annum ccccxxv. in Mona-  
sterio *Agaunensi* instituit. Sed quamquam fuerit illa  
Psalmodya perpetua, non convenit inter eruditos.  
Alii vocant illam Psalmodyam *assiduam*, quod aliis

atque aliis mutuo, & alternatim succedentibus,  
diu noctuque continuaretur, ut fiebat apud *Aca-*  
*metas* Monachos Orientales. *Cointius* vero in An-  
nalibus Ecclesie Francorum ad annum dxxxvi.  
numero cccxiv. & seqq. contendit, peculiarem  
dumtaxat psallendi formam certis horis diei &  
noctis præscriptam fuisse, non vero Psalmodyam  
perpetuam. At *Cointius* hac in re hallucinatum  
fuisse probat doctissimus *Mabillonius* in Præfatio-  
ne par. 11. sæculi IV. *Benedictini*, ac manifesto  
ostendit, in locis, in quibus jugis hujusmodi Psal-  
modia vigeat, Monachos in plures turmas fuisse  
divisos, ita ut primæ recedenti a matutinis Offi-  
ciis succederet secunda, & hinc tertia; dein ab-  
soluta prima, priores locum secuturis facerent, &  
ad assignatum laborem pergerent. Idem jugis  
Psalmodyæ ritus obtinebat apud *Centallenses* Mo-  
nachos, & in nonnullis Gallie Monasteriis,  
nempe in *Cabilonensi* Sancti Marcelli, *Dionysia-*  
*no* prope Parisios, *Luxoviensi*, *Habdensi*, &  
*Lugdunensi* Sanctæ Salabergæ. Sed de his legen-  
dus est *Mabillonius* loco mox laudato. Extat ad-  
huc Monasterium *Agaunense*, vulgo *Sancti Mau-*  
*ritii* nuncupatum, quod a pluribus sæculis a Cle-  
ricis Regularibus Ordinis S. Augustini inhabita-  
tur. Anno siquidem mcccxi. ut liquet ex char-  
ta a *Sammathanis* tomo quarto *Gallie Christiane*,  
dum de Abbatia *Agaunensi* loquuntur, reci-  
tata, jam istud Monasterium Canonici Regulares  
incolebant.

Monasteria *Jurense* duo videlicet virorum, &  
unum puellarum in Episcopatu *Lugdunensi* fun-  
data sunt in quinto Ecclesie sæculo, quorum ori-  
gines in Vitis Sanctissimorum Abbatum *Romani*,  
& *Lupicini* fratrum referuntur apud *Bollandum* ad  
diem 28. mensis Februarii.

De Monachorum *Grinniacensium* Cœnobiis,  
quæ Viennæ in Gallia quinto sæculo condita sunt,  
legendus est idem *Bollandus* ad diem 1. Januarii,  
ubi inseruit *Vitam S. Clari* a quodam vetere au-  
ctore descriptam.

*Reomaenses* Monachi ita dicti a Pago *Tornodo-*  
*rensi* cui nomen *Reomas* in Diocesi *Lingonensi*,  
in quo extructum est eorum Monasterium circa  
annum cccclxxxvi. vivebant sub Regula S. *Ma-*  
*carii* Alexandrini, quæ brevia, sed divino spiritu  
plena continet præcepta.

Præter hæc jam recensita Monasteria, alia ad-  
huc in Galliis celeberrima erant, videlicet Cœ-  
nobium, quod S. Martinus Turonensis Episcopus  
duobus fere extra civitatem Millibus construxit,  
quodque *Majus Monasterium* hæcenus appellatur.  
Monasterium *Lugdunense* apud Insulam *Barba-*  
*ram* quæ paulo supra confluentes Araris & *Rho-*  
*dani* in medio Araris sita est. In his Cœnobiis  
sanctissime vivebant Monachi, precibus vaca-  
bant, jejuniis & abstinentiis corpus macerabant,  
Clericatum, vel Episcopatum nec ambabant, nec  
postulabant, sed, vocante Ecclesia, suscipiebant,  
victum tamen, nec vestitum immutantes,  
ut patet exemplis S. *Martini* Turonensis Episco-  
pi, *Fausli* Rejenis, *Germani* Antifiodorensis,  
*Hilarii* Arelatensis, *Fulgentii* Ruspensis, qui  
omnes



omnes ex umbraculis vitæ Monasticæ ad Episcopalem thronum sublimati, nihil de pristinis moribus, victu, & vestitu mutarunt. Otio perpetuum bellum indicabant Monachi, seque quotidie labore manuum exercebant. Qui vero præ corporis infirmitate operosis manuum laboribus incumbere haud poterant, iis pro Regulæ indulgentia Codices exscribere, & prolixioribus studiis aliorum operas compensare licebat. Quem laborem, ut optime observat *Cl. Mabillonius* præfatione in sæculum 1. Benedictinum, strenue susceperunt postea Monachi Benedictini, eumque posteris suis quasi testamento reliquerunt. Adeo ut quidquid apud antiquos eruditum, ac scitu dignum, quidquid apud Patres pium, & sapientiæ plenum, quidquid in Conciliis sanctum, quidquid in libris sacris divinum est, totum id per Monachorum Benedictinorum manus ad hæc usque tempora pervenerit.

D. Antequam huic Colloquio finem imponamus; cedo, si placet, præcipua Doctrinæ Moralis documenta, & præcepta, quæ Sancti Patres ad probe informandos Christianorum quinti Ecclesiæ sæculi mores præscripserunt.

M. Patres quinti Ecclesiæ sæculi de emendandis moribus, & de restituenda Disciplinæ Ecclesiasticæ integritate semper solliciti, non solum omnem adhibuerunt operam, ut sacri Canonæ ad tollendas morum corruptelas conditi adamussim servarentur, sed etiam ad omnia veræ virtutis & germanæ pietatis officia fideles, qua verbo, qua scriptis efficaciter sunt adhortati. Infinitus essem, si hic percensere vellem omnes morum regulas, & saluberrima bene vivendi præcepta, quæ Sancti Patres in libris suis moralibus, & in Homiliis, quas ad populum habuerunt, passim proponunt, inculcant, infarciunt. Breviter dicam, illos ad sacram legis severitatem compositos, omnes ingenii, & eloquentiæ suæ intendisse nervos, ut Christianos a vitiis retraherent, ad exercitium virtutum provocarent, sed potissimum ad amorem Dei, quo Christiani discernuntur a Judæis, qui servili temporalis pænæ timore, qui manum, non animum cohibet, a vitiis abstinere: *brevissima, & aperissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor; illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem pertinet*: ait S. Augustinus cap. 17. libri contra Adimantum Manichæum. Et certe, sicut sæpius ingerit Sanctus ille Doctor, lex Evangelica est lex amoris, & quantum Christianus proficit in amore Dei, tantum in eo decrevit amor mundi, & imminuitur regnum cupiditatis, quæ est radix omnium malorum. *Sub lege est, inquit S. August. lib. de Natura & Gratia cap. 57. qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeret, ut occulte fiat, quod occulte desiderat. Nihil ergo, juxta doctrinam Patrum quinti Ecclesiæ sæculi, amare, nihil mirari, nihil expetere debet Christianus, nisi Deum, aut propter Deum. Nihil odio habere, nihil horrere, nihil fugere*

debet, præter unam turpitudinem, aut propter turpitudinem. Ita fit, ut hac cælesti doctrina imbutus Christianus, quidquid agit, sive dormiat, sive vigilet, sive edat aut bibat, ipsi denique lusus & otia ei cedant in eumulum præmii. Jam vero qua cura & sollicitudine vias ad salutem tutiores & quarere, & sequi debeant Christiani, docet S. Chrysostomus Homilia 44. in Matthæum, his verbis: *Si vestimentum empiurus unum gyras negotiatorem & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas. An non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi sincere vestitus Christi vendatur, & ubi corrupte, & veritatem eligere plusquam vestimentum?* Hinc etiam a Doctoribus instar effati, celebratur istud S. Augustini consilium ex ejus verbis concinnatum: *in his, quæ salutis sunt, tenes certum, dimitte incertum*. Denique, Patres quinti sæculi iustorum animis sanctum timorem, non salutis securitatem ingenerabant, peccatoribus diuturnam & laboriosam penitentiam imponebant, nec eos, in quibus nulla mutata in melius vitæ vestigia comparebant, præpropera absolute donabant. Penitentiam, quæ differtur usque ad mortem, incertam, suspectam & moribundam appellarunt, eamque dumtaxat sinceram esse penitentiam, docuerunt, quæ fit in hac vita, nascitur ex amore Dei, & odio peccati, ut loquitur S. Augustinus. Ignorarunt Sancti illi Patres, arcta via, quæ ducit ad Cælum, gradientes, subtilem & mirabilem illam artem ancipitis significationis verba proferendi & restrictiones mentales faciendi absque mendacio, homines palam in duello, vel clam occidendi absque salutis dispendio, usuras, & simonias palliandi, sine vel minimo divitiarum & Ecclesiasticæ legis detrimento. Ignorarunt ista lenimenta sacramenti Penitentiarum a nuperis Casuistis reperta circa confessionem, satisfactionem, absolutionem, proximas peccandi occasiones, contritionem, & amorem divinum. Uno verbo, ignorarunt mille distinctiones, quas moderni Probabilistæ latam portam aperientes, quæ ducit ad perditionem, excogitarunt ad excusandas excusationes in peccatis, ad emolliendam legem Dei, ad laxandam Disciplinam Ecclesiæ, ad invahenda horrenda opinionum, portenta, a quibus profecto abhorruissent Pagani non omnino flagitiosi, quæque a Summis Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. tota plaudente Catholica Ecclesia, fuerunt vaticanis fulminibus prostrata. Hæc igitur, quæ in doctrina morum ignorarunt antiqui Ecclesiæ Patres, & nos quoque penitus ignorare debemus, eumque dumtaxat incorruptum de moribus tenere sensum, quem Sancti, Majores, ac Patres nostri uno, eodemque consensu aperte, perseveranter tenuerunt, scripserunt, docuerunt. Sic integritatem Moralis Christianæ sartam rectam conservabimus, nec eam violari patiemur ab illis, qui nolunt, sientes justitiam de purulente bibere, sed adducunt ad suas cisternas contritas, luto & sordibus conspurcatis, quæ rudera habent, aquam non habent, ita ut, qui inde bibent, plus hauriat limi sordiumque, quam liquoris.



# HISTORIA

## ECCLESIASTICA

### VI. Ecclesiæ Sæculi,

*Variis Colloquiis digesta.*



**B**ene habet. Jam quinque emensi sumus Ecclesiæ sæcula, & mox Historiam sexti sæculi aggredimur, quam solitæ nostræ inhærentes methodo, sex Colloquiis absolvemus. In primo exhibebimus statum Ecclesiæ sub Imperatoribus, & Principibus Christianis. In secundo referemus Controversias, Hæreses & tumultus, qui occasione trium Capitulorum in Ecclesia exorti sunt, eamque diu exagitarunt. In tertio agemus de Conciliis, & de rebus in illis gestis. In quarto texemus seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes in sexto Ecclesiæ sæculo tenuerunt. In quinto de Viris illustribus, qui in eodem sæculo floruerunt, & de eorum Operibus sermonem instituemus. In postremo, de Doctrina, Disciplina, & Morali sexti Ecclesiæ sæculi compendiose tractabimus.